ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Illustri, Amplissimoq viro
D. Constantino Hugenio, Domino meo clementiss. S. P. D.

Iustinum, nobilem historicum, nobilissime vir, non ita pridem aggressi sumus. Quem quidem necessarium cum primis atq utilem experimur: maxime quia ipsius Trogi gravis ac, quod ait Plinius, severissimi scriptoris, nihil jam nobis, præter inane desiderium, omnino reliquum injuria temporis fecit. Neq enim cuivis tam lepide ac suaviter somniare licet, atq homini illi, qui ne cum vulgo eruditorum (quibus tam certum est hunc periisse Pompejum, quam illum alterum Cæsaris [illegible]rsarium) tanti authoris jacturam deploravit, in somnijs eum amplecti maluit, qui imo in Italia se ne etiam solis locum tacuit vidisse affirmat; Vidisse, credo, in Italia, si quæ est, Cimmerica; vel itidem ut amantes atq avari sibi somnia ipsi fingunt, ut dormientes somniant quæ vigilantes volunt. Tanto tamen his et felicior et stultior, quanto hora una, aut etiam altera minor est tot annis, hi enim una nocte delirant gaudendo, et gaudendo delirant hic semper. At fruatur ille sane (non equidem invideo) amabili sua insania, donec elleboro biberit, quantum vertiginoso cerebro satis est, ne tamen sudabit ad paulo magis quam avus ille Aeolijdes, quem jam tot retro seculis saxum illud ingens volvere accepimus, prius quam nobis quicquam, præter risum, excusserit. Sed mittamus facetum hunc nugatorem, atq sibi soli desipere jubeamus. Accedo ad nostra: Exemplar, quale præscripseras ab erudita et accuratissima Berneggeri manu, bono studiosæ Iuventutis editum recensitumq, tota Haga frustra horsum, vorsum, sursum deorsum, istuc, istorsum cursitans, investigavi, perquisivi usq omnes Bibliopolarum ædes, omnes bibliothecas, Elzevirianam, dico, Laurentianam, et alias quoq minorum gentium. Negabant se habere ad unum omnes. Lamarius solus ille inquam Pseudo-gerulus, fraudium ille compactor, consutor, architectus. (quem quidem, ut dignus est, Di perdant) exercuit nos miserè, atq mendacissimis suis pollicitationibus suspensos habuit. Dum moras nectebat et logos, dum diem ducebat ex die, dies interim abierant, abierat septimana: Ego tandem cornicillam pertæsus cantilenam et seram nimis crastinam esse spem arbitratus, hodie et hoc agendum, editionem, quam et Amplissimæ dignitatis vir D. Dedelius probat, comparavi. Hanc post omnes omnium operas Cl. et elegantiss. ingenij vir D. Boxhornius procuravit. Cætera quæ in Berneggero potuissemus contemplari, ego, longe ejus vestigia adorans supplere conor:

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2202

ACAD. LUGD.BAT. BIBL.

Chronologiam et exactam temporum rationem (quam qui in Justino quaerit anxie, profecto frustrabitur) aliunde arcesso; loca Geographica adsigno: cum Sleidani succincto compendio aliisq historicis confero: cum illo quidem, ut mandaveras, assidue, cum hisce, nonnisi cum usus id magnopere videtur flagitare.

Varias lectiones, quarum bene magna in Berneggero copia erat non admodum curandas arbitror, ubi sensus est apertus, ac planus, quod tersa nobis et polita magni Boxhornij industria praestitit.

Diligentiam autem Berneggeri ut carpam tamen, absit absit; usus aliquando necessarias var. lect. diffiteor; cum, vel unam subinde literulam totum pervertere periodum, liquidat etiam ex hoc quem adscribere juvat authoris nostri loco, libr. 1. Igitur Magi, ad favorem populi conciliandum tributa et militiae vacationem in triennium permittunt. Quid? nonne ineptissimus loci sensus foret, nisi tributi vacationem legamus? Nunquam enim populi favorem quis tributa imponendo sibi peperit, quod sciam: Sed enim nunquam accidere potuit illiberali isti Criticorum generi, qui malunt de una vocula, uno apice immortales serere lites, quam authorem illustrare. Certe ego id non minus sterilis et infiniti negotij puto, quam Lybicas arenas velle numerare: Ac profecto (ignoscite humanissimi virorum, vel erranti, vel ridicule arroganti) in quibusdam vix somnum, in quibusdam vix cachinnum tenere satis non est novis illis Corneliorum, scilicet Varronum, Stilonum, Agelliorum, (dent veniam, A. Gelliorum volui dicere) Priscianorumq imitatoribus, nihil dicere, nisi dicant malo, quippe ne nihil agant, unum id agunt, ut minime omnium agant id quod agere instituerint, Dum omnia Macci stulti, stolidi, fatui fungi bardi, blenni, buccones, (de illis solis cum Plauto hic loquor) Dum inquam omnia, carpunt, corradunt, interpungunt, concipilant, mutilant, quid aliud faciunt quam quod Pentheo Baccha?

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2202

Musæ, et Apollo vestram fidem! non enim possum quin excla-
mem, nunquam Hippolytum tam male sui equi, (Actæona sed nec-
tum Actæona) sui canes exceperunt, quam imperiti nebulones, præclaros
veteres literarum Romuli, aut Camilli, primarios, ac quasi patritiæ fa-
miliæ, authores. Oculos mihi dolere necesse est, quoties video, quam lacera
omnia sint, quam anfracta, devulsa. Prometheus sane non ultra fa-
bula est: En non unius Iapetioniadæ nova, et sacra fame viscera rima-
tur et vellicat, trahit rapit, scindit, non unius vultur. Enimvero
nonne id hominum genus audax, iniquus, ambitiosum est, qui Correctores se
dicunt? Incredibile est quam stragem et quam late ista lues, isti Tarquinij Reipub-
literariæ, dederint. Augeo hic scilicet, et invidiæ flammam subjicio viris bonis.
Utinam! sed quotusquisque ex ijs antiquos adit, nisi urendi secandique causa? Id enim
vocant Corrigere. Hoc rectum est, hoc non rectum. Hoc non implet
aures meas: hoc non latinum, etiamsi ~~Cicero~~ ~~est~~ hic locutus ita
videatur, me tamen authore sic lege, lector: Stigmatias hic locus est
hic mutilus, hic adulterinus. Atque ita vulnus non raro postremi ho-
minum, maximis viris faciunt, dum mederi velle videntur. Ita rapices isti
et petrones distrahunt, laedunt, enervant, et minutis ictibus quotidie, dos fodiunt, ut
sentiant se mori. Et adhuc Machaones audire volunt atque Æsculapia
proles: imo sicarij potius atque lege Cornelia, vel etiam Porcia, atque
Sempronia damnandi. Quis medius fidius, eorum ferat fastum? Soli
post genitas leges, leges et sententiam ferunt e conjecturis. Divini, sua
sententia Devinatores: præ quibus nempe antiquatum est collegium
Augurum, Haruspicum, ~~Triumvirorum~~ quindecimvirum fatalium librorum.
Sed quorsum garrio? his certe moribus medicinam velle facere, cum umbris
ventisque dimicare est, ferendum quod non mutes. At utinam ego qui
huc usque in alienis vitijs corrigendis fui, meum tam facile corrigere possem, atque execrari,
quod vehementer in me, et agnosco et odi! Prolixitatem ~~[illegible]~~ istam enormem, qua me-
minisse nunquam jure videor, me epistolam, et tali viro, scribere, et vereri perpetuo, ne
unquam tacendo, ut illa olim Amycla, perdam. Agnosce quæso medeam, Per-illustris vir
et, si veniam meretur humillima veniæ precatio, ignosce. Det Deus Opt. Max. ut quam
diutissime Bataviæ tuæ bono valeas.

Hagæ Com. IV. Eidus Sextil.
CIƆ IƆC XXXIX.

Ita voveo, ita auguror,
Illustrissimi nominis tui, ac Amplitudi-
nis cliens devotissimus,
Henricus Bruno.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2202

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2202